



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. V. De Gula.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

DUBIUM V.

De Gula.

ARTICULUS I.

Quid sit Gula?

Resp. Ea est inordinatus appetitus cibi & potus: opponiturque abstinentiæ, & committitur 5. modis. 1. Si edas ante tempus. 2. Si nimis exquisita 3. Si plus justo. 4. Si voraciter. 5. Si nimis exquisitè præparata. *Laym. l. 3. f. 4. nu. 5.* Unde resolves.

I. Gula ex genere suo est peccatum tantum veniale; quia nullus horum modorum repugnat præcisè charitati Dei, vel proximi.

II. Hinc probabile est, quod docet *Navar. Tol. &c.* & non repugnat *Laym.* secluso scandalo & aliis, veniale tantum esse, usque ad vomitum se cibo & potu implere: idq; etiã, si quis vomat, ut iterato possit bibere: quod tamen *V. Comedere, Sa, aliqui multi* putant mortale. *v. Balã. Escob. 8. 2. E. 2. c. 5.*

III. Vix dubium est, licere esu aut potu, aliterve creare vomitum, si is salubris esse judicetur.

IV. Mortalis interim censetur crapula ex accidente & nimia inordinatione, in his casibus, 1. Si quis gulæ causa violet jeiunia Ecclesiæ, 2. Si quis ex gula notabiliter ineptus fiat ad functiones, ad quas sub mortali tenetur. 3. Si quis valdè graviter valetudini noceat, id avertens: secus si leviter tantum, ut v. g. si febricitans haustu

haustu aquæ morbum augeat. 4. Si contineantur
 fiant commestiones, & compotationes, ita ut
 venter pro Deo habeatur. 5. Si quis bibat ad per-
 fectam ebrietatē, de qua infra. 6. Si quis ex mo-
 ra gula vescatur carnibus, aut sanguine humano,
 tum quia id repugnat pietati defunctis debita;
 tum quia est contra instinctum naturæ abhor-
 rentis. Excusandum autem erit, si fiat causa me-
 dicinæ, aliave justa causa, v. g. extremæ famis in
 obsidione; in qua tamen sic vitam conservare
 non teneberis. *Sanch. 1. mor. cap. 18. Less. Laym. l.*
3. f. 4. Sa. Bon. Baldell. l. 3. c. 29. Sic etiam excu-
 sant quidam licitores illos, qui ut officium suum
 melius administrent, haustu sanguinis humani
 se animare dicuntur; præsertim cum sanguis
 secundum multos, animatus non fuerit. *v. Anti-*
citt.

V. Ex genere quoque suo venialia sunt, quæ
 filiæ Gulæ dicuntur; nimirum ex parte animæ,
 1. Hebetudo mentis, seu stupiditas nata ex crapu-
 la, v. g. ut non possit orare, &c. quæ fit mortalis,
 quando quis inordinatè bibendo, vel comedendo
 voluntariè, fit ineptus ad intelligenda vel præ-
 standa ea, quæ ad salutem illi sunt necessaria, vel
 ad quæ ex officio, aut aliàs sub gravi peccato
 tenetur. *Baldell. d. 29. l. 3. num. 15.*

2. Inepta lætitia, per quam intelligitur non
 quævis inordinata, quæ omne peccatum sequi-
 tur; sed quæ movet ad cantiones obscenas, ac-
 ctus turpes, saltus, vel choreas inhonestas, &c. fit
 que mortalis, quando est inductiva alterius ad
 con-

consensum, vel delectationem mortalem, vel ad eam ordinatur. *ibid*

3. Multiloquium.

4. Scurrilitas, quæ ab inepta lætitia, & multiloquio differt, quod illa sit in appetitu, istud in verbis, hæc in verbis, & gestibus, dicitque semper aliquam inhonestatem, licet (per se, & secluso scandalo) venialem: v.g. scurrilia dicere, vel canere, ventum emittere, &c. ex levitate ad risum excitandū: mortale tamen esset, si fieret causâ delectationis verecæ, *Baldell. l.c. Escob. t. 2. E 2. c. 4*

Ex parte corporis, Immunditia, Vomitus, & Seminis effusio. Quæ ultima, si voluntaria sit, mortale est, v. *Lay. lib. 3. f. 4. Less. lib. 3. cap. 3. Baldell. l. 3. cap. 29.*

ARTICULUS II.

Quid sit Ebrietas?

Resp. Malitia ebrietatis plenæ & perfectæ, in eo consistit, quod quis sine justa & gravi causâ, tantum ob voluptatem, aut ingluviem, sciens volens, privet se usu rationis; non simpliciter. id quod fit in somno, modo naturali instituto ab authore naturæ, ad visum & imaginis Dei conservationem; sed violenter & modo innaturali, rationem perturbando, & Dei imaginem deturpando, in modum amentis bruti, ac simul insuper privando se proxima potestate utendi ratione, ad omnem subitam necessitatem. *Ita docens commun. Doct. Vnde resolves.*

I. Perfecta ebrietas, quâ prædicto modo ratio planè

planè sopitur, est ex genere suo mortale: quæ
censetur Deo injurium, eius imaginem sic de
turpare. *Est communis Doct.*

II. Non est peccatum, inebriare se ex præ-
scripto Medicorum, si aliter sanitas recuperari
non possit. *Sylv. Cajet. Laym.*

III. Nec item est peccatum, si quis cogatur
intento ense. *v. Less. l. 4. cap. 3. d. 4. num. 37. de
zor. Regin. Baldel.*

IV. Mortale est, alium inebriare velle, ut
provocare ad æquales haustus, cum intentione
inebriandi, aut advertentia securæ ebrietatis
in se aliove, *Less. l. c.*

V. Si justa causa est, ut v. g. si grande malum
non possit aliter impediri, nisi auctor inebrietur,
licet eum inducere ad ebrietatem, quæ saltem
ipsi non sit voluntaria, ut scilicet præter inten-
tionem, ideoque inculpabiliter inebrietur; v. g.
vinum fortissimum, aut medicatū propinando,
cuius vi ignorata decipiatur. Unde sic possunt
inebriare eos, qui alioqui essent prodituri ur-
bem, vel te abducturi, *Less. l. c. & Sanchez. l. 2. de
mat. d. 11.* An vero hoc casu liceat inducere ad
ebrietatem ipsi voluntariam, dubium est. *Less. l. c.
4. cap. 3. dub. 4. num. 32.* affirmat, quia inquit, licet
et suadere & inducere ad minus malum, ut im-
pediatur majus, *Laym. l. 3. f. 4. num. 6.* rectius ne-
gat: quia nullo casu licet inducere ad peccatum.

VI. Si quis non prævidit periculum ebrieta-
tis, & sic vino captus est, aut in auram exten-
sivo turbatus est, nec hoc prævidit, vacat culpa.
Unde multi excusantur, qui prudenter sæpe ju-
dicant.

dicant, adhuc se haustulum facere posse sine noxa; desinent tamen prudenter id judicare, si contrariam de se experientiam habeant.

VII. Si quis post potum discernere adhuc possit inter bonum & malum, licet nonnihil phantasia turbata sit, aut sequatur vomitus, lingua titubet, pedes vacillent, oculi cernant duplicia, vel domus gyrari videatur, nondum plena est ebrietas; ideoque tantum peccatum veniale, quamvis ex gravioribus, si deliberatè sit commissum, v. *Laym. loc. cit.*

VIII. Plena ebrietas notatur ex his signis, quæ dat, *Less. dub. 2. num. 30. & Regim. 1.* Si quis non meminerit dictorum, factorum, quomodo vel quando domum deductus. 2. Si commisit ea, quæ nunquam aliàs sana mente solet, v. g. si præter morem turpia sit locutus, turbârit domum, uxorem verberaverit, &c.

IX. Mala in ebrietate commissa, si prævisa non sunt, aut sit adhibita cautio, culpâ vacant.

DUBIUM VI.

Quid sit ira?

Resp. Est inordinatus appetitus vindictæ. Quæ inordinatio, secundum *D. Thom.* dupliciter fieri potest. 1. Ex parte modi irascendi, ut v. g. si nimium interius exardescas, vel exterius per signa nimis patefacias. 2. Ex parte objecti, ut si vindictam appetas plane injustam ob causam; vel si iusto maiorem, v. g. optando inimico mortem, quam non est meritus; vel exequendam propria